EMINENTIA
SACRÆ ROMANÆ ECCLESIÆ REGNIQVE POLONIÆ

Celsissimis Virtutum ac Honorum messibus,

In

AVITIS Meritorum RASTRIS,

&

PVRPVRA ROMVLEA,

EMINENTISSIMI,

CELSISSIMI,

&

REVERENDISSIMI PRINCIPIS,

DOMINI,

D. JOANNIS ALEXANDRI

In LIPE,

LIPSKI,

SACRÆ ROMANÆ ECCLESIÆ

CARDINALIS,

EPISCOPI CRACOVIENSIS, DVCIS SEVERIÆ.

Summo Patriæ applausu

REFVLGENS,

A

Regio-Benedictino Archi-Cœnobio Tynecensi,

Submisso vultu

OBSERVATA,

Solemniq; voto

DEPRÆDICATA.

Annô, quo virtus sublimibus eminet astr[illegible]

Typis Viduæ & [illegible] iewicz, S. R. Emine[illegible]
ini Sac: Rom [illegible] cis Seve[illegible], Ordi[illegible]

In Avitum Stemma
EMINENTISSIMI & REVERENDISSIMI
PRINCIPIS.



RASTRIS collegit Fasces sibi Gloria Regni,
i cipis ut pateat pro Pietate labor.
stis radiant Virtu RASTRA m
t e elle is ho

EMINENTISSIME & REVERENDISSIME PRINCEPS.

Sublimem Apostolicæ Dignitatis Eminentiã Te in JOANNE, magnitudinem Gloriæ Regni Te in ALEXANDRO procíduo veneramur cultu. Quis etenim ingenij conceptus Tibi Magno Antistitũ Numini & Optimati solemnes posset efformare applausus? Quem Aræ Præsuleæ vix capiunt, Curules Senatoriæ, PRINCIPI consilio potẽtissimo, Judicij gravitate elevatissimo angustæ ità videntur; ut magnificam famam, quæ nullum peritura per Orbem, nec Sapiens Thales, nec Divinus Plato, aut disertissimus Tullius altioribûs ultra efferrent encomîjs! nec Purpuram in Te o Magne PRINCEPS, utpotè Illustrissimorum Antenatorum Tuorum imaginem condigno celebrarent ornatu; nec culminis apicẽ indesinentib⁹ attingerent laudũ gradationibus. Immensæ sunt perennium Virtutum Tuarum messes, quas Gloria Regni Gentilitijs Tuis RASTRIS *in amplissimum honorum Acervum pro Patriæ & Ecclesiæ decore collegit.*

Ex-

Exiguas tamen EMINENTISSIME PRINCEPS *ſuſcipe laudes, veluti minima de ſubmiſſi cordis gazophilatio deprompta honoraria: Nunquàm enim parvas Magno Patriæ Numini offerre præſumeremus adoreas; niſi ſciremus quia vectigalia honoraria, ſemper magis parva* Viris placuêre magnis *Et licet Illuſtriſſimum Nomen Tuum nitido per Orbem gloriæ fulgeat oſtrô, varîjsq́ Purpura Tua Virtutum gemmîs intertexta niteat; è Benedictino tamen Roſeto,* CARDINALITIÆ *Tuæ, Roſas* BENEDICTI, *quas offerrimus Purpuræ, glorioſîs Tuis collige* RASTRIS, *ut ſub Protectrici Tua Purpura, etiam Ordinis antiquiſſimi Benedictini creſcat honoris odor,* quaſi odor agri pleni cui benedixit Dominus. *Tibi quoq́* PRINCEPS EMINENTISSIME *hi Roſarum flores, ad decurſum ſæculorum, perpetuæ Incolumitatis, ac perennis Gloriæ Tuæ latitudinem, explicent centiſolia. Hæc dum* EMINENTISSIMO *Honori Tuo Solemnia Patriæ & Eccleſiæ exaramus vota; ſubmiſſũ cultum noſtrum Pontificali ſubjicimus Pedo.*

Eminentiſsimi & Reverendiſsimi
PRINCIPIS,
PROTECTORIS Clementiſſimi.

Devinctiſsimum & obligatiſsimum

Archi-Cœnobium Tynecenſe
Ordinis Sancti BENEDICTI.

PANEGYRIS.

Pontificalem Magni Antistitis Eminentiam
in CARDINALITIA Purpura,
Sublimatam Sarmatici Poli Celsitudinem
in Senatoria Principis dignitate,
intuere Polonia!
Vtramq; in uno Præsule venerare Majestatem.
Luminare majus Tuis exoritur votis;
cum Regalibus aquilis à nova gloriæ luce nèc palpebram dimittas,
nisi in tanti luminis adoream.

Imò:

quò illud spectas sublimiùs,
eò venerare profundiùs.

Quemadmodùm

non alibi illustriùs pro Patriæ & Ecclesiæ decore
celebria poterant collocari merita,
ita nòn alibi sublimis Honorum erigi Eminentia,
quàm in Celsissima Patriæ Penatum Aula

LIPSCIANA,

Vbi:

quot Curules, tot Proceres:
quot Subsellia, tot Senatores:

quot Aræ,

tot Orthodoxi Regni spectantur Numina.

DOMUS L I P S C I A N A,
à primo sæculorum Regni Poloniæ progressu
Augustale Honoris erat,
& novum nòn naturæ vel artis, sed manus Divinæ prodigium;
de quo;
si retroacta redirent tempora,
faterentur:
Regia solis erat sublimibus alta columnis.
Clara micante auro flammasq; imitante pyropo:
Cujus ebur nitidum fastigia summa tegebat,
Si liceat ingredi gloriosum Domus LIPSCIANÆ Atrium;
imperterritas muri Ahænici excubias
sicut oculo mentis videre, volupe est,
ita in primo limine adorare, necesse.
Numerosæ eorum Legiones,
cataphractis gloriosorum RASTRORUM obarmantur fulgoribûs,
in quibus Regni defensio, firmissimo prominet munimine
Cui:
nec clara suô Rhodos promontoriô,
nec bimaris Corynthus suis mænijs
valet adæquari:
Templo Honoris
Patriæ decus & ornamentum Ecclesiæ infertur.
Augusto gloriosæ Magnificentiæ Palatio
Adstant virtutes, invigilant merita;
Nèc alitèr ad aditum Honorandorum Penatum
patent ostia.
Si tanta Procerum ad Portam Aulæ Principis invigilant Nomina,
Quis ipsa virtutum Numina domi dominari non deprædicet?
Ostia Magnæ Maximi Antistitis Domus,
immarcescibilibus Stirpium exornantur Laureîs,
mænia Trojanorum Principum exprimunt originem;
ipsas exemplorum ædes domestica sanctimoniæ familia veneratur.
Splen-

Splendet tota LIPSCIANA Domus,
Plusquàm Parijs rerum egregiè gestarum adornata magnificentijs;
fastigia tecti
per gradationes meritorum in altum erecta
scalam virtutum cœlis affinem remonstrant;
summitas ipsa cælos tangit.
Gloria Domini Dominantium
super templum Honoris LIPSCIANI
plena gratiarum resplendet facie.
Teucrorum Argentinorumq; Herculis Templa,
umbris suis minora sunt.
Eminentia LIPSCIANÆ Domûs sublimior fastigio quovis;
Nòn celebrent illa suam à vetustate claritudinem!
quæ uti profana fana, antiqua obscurârunt sæcula.
Domus LIPSCIANA
in oriente Ecclesiæ ædificata,
tot sacris decoribus insignita,
in occiduo gloriæ suæ jubare,
etiam Regnorum soles illuminavit gloriosiùs.
Centenis undiquè magnorum ingeniorum columnis
pro Patriæ fulcro,
exquisita cœlestis Dedali ars
hoc stabilivit Palatium;
Cujus
inconcussi parietes,
in quibus
vivæ originum imagines
Patriæ & Ecclesiæ leges tutantium
honorabiliori spectantur vultu,

 murum

4

murum & antemurale Regnorum consolidant.
Stationes ante hanc Senatoriam Regiam
aurei sunt Equites,
Magni Reipublicæ Statores,
& Regni Sarmatici Ioves.
Splendor ejus etiam ex Illustrib⁹ Aboriginũ prorumpit umbris,
supprimi nescius famæ sonus·
ex ipsis fatorum refrangitur conticinijs,
& inquilini magnorum pro Domo hac Oratorum Phœnices,
ex ipsis antenatorum cineribus renascuntur.
Posthuma nempe LIPSCIANA gloria
Nulli mortalitatis succumbit lethargo:
grandævi Orbis Catones,
in prætextatos LIPSCIANORUM Nominum rejuvenescunt Oratores.
Etiam Mausoleorum marmora
in ampla Domus istius desudant encomia,
& quasi per novam quandam metempsychosim
traductis Magnorum LIPSCIORVM informata Entheis,
dum auribus dare voces nequeant;
dant oculis.
Illustre LIPSCIORVM Genus,
in elogio Magnorum Ducum,
Annalibus Orbis Poloni deprædicatur laudibus,
& mutæ Historiarum diphteræ
satis multa dicunt:
dùm LIPSCIORVM loquũtur Nomina.
Regnante VLADISLAO LOKTICO
L I P S C I A N I Heròés
invicti Legionum Præfecti,
tanquàm invicti Exercituum Duces
solo

ſolo Majeſtatis aſpectu hoſtiles exterruerunt acies,
quas ut viderunt, vicerunt.
Dumq; Regni Coronas Eccleſiæq; diademata
præclaris geſtis in ſplendidiorem redderent proſpectum;
in vultu illo,
emeritos ſuos labores,
effigiatam ad amuſsim gloriæ virtutum imaginem
principalibus Reipublicæ Polonæ dignitatibus colendam prætulerunt.

Regia Bathorei Aula
SVENTOSLAVM LIPSCIVM
Macedone glorioſiorem,
Aurelijs Romanorum Principibus illuſtriorem,
Magnum honoravit Hectorem.
Belzensîs Capitaneatûs Curulim conſcendens SVENTOSLAVS,
aureos ab ore eloquiorum imbres
ita depluere viſus,
ut jam tunc ingentes Honorum faſces
illo præcelſo profluente togatos,
in manipulos colligeret pretioſos.

Quot LIPSCII Regno præfulſerunt,
tot infracti Pompeij,
tot in expugnabiles Annibales,
tot Numina Regni, radijs titulorum conſpicua
Hoſtibus Patriæ
Martis imperterriti frontem exhibuerunt.

Integer Iuſtitiæ Præſes
SVENTOSLAVS,
Themidis libram intrepidâ dexterâ gerebat:
& ne ab æqualitate an æquitate deflecteret;
æquanimi regebat moderamine.

Pro

Pro legibus Patriæ decertavit Ariſtides,
Pro juribus Eccleſiæ Tullius,
Pater Patriæ, quia LIPSCIVS.
Illuſtriſſimus ac Excellentiſſimus
ANDREAS LIPSKI,
Regius Sigiſmundi III. Secretarius,
Catone gravior, Hortensio eloquentior,
jam pro tùnc in magnifica crucis Ara,
planè ſub aſtra, ſacra exaltavit RASTRA.
& meruit;
ut illa Herculea animi fortitudo,
quæ pro Regijs Regni manipulis,
quæ pro Eccleſiæ laureis ſtrenuè decertavit,
Divinis inſcriberetur Aris.
Luceorienſi Infulâ coronatus ANDREAS,
Polonum Orbem fulgidô Crucis diametrô irradians,
per Pontificale ſuorum virtutum jubar,
nova Eccleſiæ adauxit lumina.
Cujus
Splēdida puniceis radiabat vitta lapillis.
Ad MATHIAM Imperatorem Legatus,
pulcherrimâ virtutum omnium apparens ſtipatus aſsiſtentiâ,
unus
Athenienſium Senatum repræſentaſſe videbatur,
ita ut toti⁹ Patriæ & publico ſuorum meritorum elogio,
Regni Procancellarius promulgaretur.
In hoc Majeſtatuoſo honoris gradu,
Delphica oracula ſuperaſſe credebatur ANDREAS,
alter Claudius:

in

in Curia clypeum aureum,
in Senatorio Capitolio auream sedem,
habere promeruit.
Debebat etiam Vladislaviensis Tyara,
integram huic suæ gemmæ Præsuleæ æstimationem:
Ast ad altiora honoris fastigia,
urgent merita magnæ virtutis ascensum.
Triplex Cracij Vavelli Corona,
Præsuleo ANDREÆ Capiti se se acclinat
millenis Cidaribus digno.
nempe:
ANDREAM LIPSKI,
Episcopum Cracoviensem,
Ducem Severiæ,
Divinæ repræsentat Aræ;
Cujus immortale Nomen,
in aureis Hesperij Tagi vasis,
in Holosericis operis Damasceni tapetijs,
in sacris refulgens apparamentis,
qualis, quantusq; fuerit ANDREAS Antistes, enuntiat.
In his,
dum Annales Virtutum illius normæ,
vivis animantur coloribus;
quis sæculorum Contemplator
liberalem Principis munificentiam deprædicare poterit?
quis cor tam præcellentis pectoris examine,
aut publicæ luci ereptum dixerit?
dùm ANDREAS ille Craciorum Principum fortissimus,
tot & tantis Cathedræ suæ decoribus
superstitem gratiarum suarum insculpsit faciem.

6

ANDREÆ fortitudini
minus erat meritorum pondus supportandum.
Atlanti Orbis Poloni
Major debebatur majoris sphæra Honoris.
Post decora HENRICI FIRLEY Metropolitani fata,
sub VRBANO VIII. & Rege SIGISMVNDO Tertio,
ANDREAS
Archiepiscopus Gnesnesis,
Primas Regni & Prorex creatus,
bina dignitaria Cruce
Ecclesiæ vota coronavit, & Regni felicitati benedixit.
largior Cræso in Patriam Princeps.
Debuerant ANDREÆ fortitudini Scipiones Regni committi:
ut nutantia Patriæ fastigia,
& publica boni communis commoda
Pontificali consolidaret Pedo.
Illustrissimus & Excellentissimus
IOANNES LIPSKI,
Iudex Terrestris Calissiensis,
terrens severo crimina vultu,
intricatos offensionis tribulos,
lolium & carduos zizaniorum,
de frugibus gloriæ Regni,
tanquàm pernitiosam Patriæ pestem,
tanquàm Gorgonea Averni monstra,
avitis expunxit RASTRIS.
Illustrissimus & Excellentissimus
PROCOPIVS LIPSKI,
Castellanus Rogoznensis,
Regia

Regia Senatorum ſubſellia ;
Magnitudine Conſilij exaltavit,

Cujus

Exercitus Honorum numeroſus,
& militantia Magno Nomini dignitatum caſtra,
Domum LIPSCIANAM meritò coronârunt.
Illuſtriſſimus & Excellentiſſimus
VENCESLAVS LIPSKI,
Tuus
Princeps Eminentiſsime
Pater Glorioſiſſimus,
Proavorum Abavorumq; honorabilis imago,
Regum ac Principum ſpectata Majeſtas,
pretioſus Coronæ Regni unio,
inexpugnabile Orthodoxæ Religionis propugnaculum,
Magnanimus Hoſtium Domitor,
qui uno triumphali R A S T R O,
devictorum hoſtium capita
in millenos ſuæ & Polonæ gloriæ congeſsit acervos;
cujus glorioſa Nominis fama,
triumphali curru
totius Europæ tranſcendit pretium.
&
Ornat Apollineâ victricia tēpora laurô.
Ille unicum Senatûs Poloni delicium,
Conſiliorum Numen,
ſtupendorum ad Regni negotia reſponſorum Tripos,
talia ſemper in facie Senatûs effata dabat ;
quibus meliora nec Phœbus Memphiticus,
nec ipſa ſub Delphica meditabundus cortina loqueretur Apollo.

C Ille

Ille redivivus sui sæculi
jam non Gallicanus sed Polonus Hercules,
vel de candido liberæ vocis lilia fundebat ore,
quibus Patriæ coronaret vota;
Vel plusquàm aureos Statisticorum sensuum evolvebat torques,
à quibus:
& spes libertatis & boni communis,
Civium animi & mentes consultantium dependerent.
Ille totius corporis Reipublicæ Cor,
in omnes & singulos,
vitales animosæ dexteritatis diffundebat spiritus,
intrepido ad quævis pericula motu:
sicut primum suæ Patriæ meruit appellari vivens,
ita pro D E O, Rege, & Lege,
ultimum esse moriens exoptabat.
In præcellenti RASTRORUM dignitate,
Regnorum Ioves Reginasq; Aquilas collocans,
jure Paterno
Eminentes Honoris fasces,
Tibi
Princeps Eminentissime,
Hæredi suo reliquit Filio.
Illustrissima
BARBARA MIASKOWSKA,
Tua
Vel Te ipso etiam Filio suo
Mater felicissima,
sui in Tuo honoris & spei effectuatæ Mater,
Ingens pietatis exemplar,
Inter Vestales splendores

Miram

Miram virtutum omnium continet normam;
Cui non Hyperbolica assertatione adscribendum:
tale decus portabat nulla Dearum.
Hæc Pulcheriâ augustior,
Pietate Corneliâ celebrior,
Superûm aras, Divorumq; templa venerando,
vera virtutum Idea refulget.
Hæc virtutis masculæ nova horum temporum Penthesilea;
animo prudenti, & ad magna, nata Minerva,
non unius Lechici Herculis Alcmena,
Fide in Deum & homines Penelope,
& felix te suo ALEXANDRO Polona Olympia,
Cœlestium gratiarum thesaurum,
quem firmo exemplaris vitæ acquisivit jure,
Tibi Gratiosissimo Filio IOANNI consignavit.
Hanc unam
pro innumeris Illustrissimæ MIASKOVIANÆ Domûs decoribus
dixisse satis esto;
in qua labor naturæ,
Concurrentes operantium clementiùs Cœlorum influxus,
imò conspirantes singularium Superûm favores,
sigillatim in alijs sparsas virtutũ corporis & animi dotes,
ac si in unam Orbis Sarmatici Pandoram,
dignô admiratione compendiô congessère.
Viderunt anteacta,
Vident præsentia,
stupebunt & rememorabunt futura sæcula,
quomodò:
Illustrissima MIASKOVIANA Domus,
in tot suis Hectoribus

pro aris & focis strenuè decertantibus:

in Gentilitio Vnicorne

bellicos Arietes superavit,

ac uno ictu glorioso, conspectuq; torvo,

clausit & expunxit omnes hostiles Regni acies,

suæq; fortunæ divites aperuit Cornucopias.

Ditavit hæc Domus, Solia Regni Ministris Emeritissimis,

decoravit Senatum Proceribus amplissimis,

auxit militares copias heroibus invictissimis,

Majestuosiores fecit Cathedras Præsulibus Eminentissimis,

ornavit Stalla Prælatis Dignissimis:

& sive in Toga Catones,

sive in Sago Fabios,

sive in sacris Purpuris Antistites,

Senatus, Patria, & Ecclesia precabatur.

E tanta tantorum Prædecessorum Tuorum serie,

non minus meritorum ac honorum compendium

coàluisse,

E tam pretioso Sanguinis Nobilissimi Erithræo,

omnibus sæculis æstimanda gemma

effluxisse,

E tantis Parentibus, Patriæ Pater

nasci debueras;

& in Magnum Ecclesiæ Antistitem efferri.

In vitalem àërem prognati,

primam emittimus vocem plorantem;

Ast Tu Principum Numen,

rides in sæcula natus.

Majo-

Majores fasces in Cœli sorte futura
Præsuleis manibus tracturus: habere coronas,
Quales Rex Regum tribuit ditione perenni,
Tales nec Priamus primis Magnatibus arces,
Trojanas potuit magnas conferre nec aras.

Nobiles Tuas Principum cunas
Purpurarum rosis Lucina adornavit,
Mitras Capiti subjecit,
Fasces pro fascijs obtulit,
Annulis manus subarrhavit.
Anitij gemmâ pretiosioribus,
Et statim ad primum vitæ exordium
in aurora auricomum, in honorum meridie solem,
in flore maturum virtutis omnigenæ fructum,
in Pusione Magnum ALEXANDRVM,
in fascium nexibus obligatum libertatis Tutorem,
in cunis Soliorum & Majestatum decus,
præscio futurorum eventuum augurio
adoravit.
In Majestuosa adolescentiæ indole
formosiores Ganimedis virtutes expressisti,
& à Regijs Orbis Poloni Aquilis
ad sidera IOANNES evectus;
omnium post Te Procerum animos attraxisti.
In Gnesnensi Canonicatûs Cathedra
Vox Clamantis agnoscebaris:
& Iupiter sine fulmine tonans,
Supremi Regni Cancellarius
antè Thronum Regiæ Majestatis
Pretiosiore quàm Nestor sermone perorabas,
Conjuratos ac perfidos Regni Catilinas,

Verborum acumine
gladijs penetrabiliore detruncabas.
Ex Ara Delphici Apollinis, Præsagus Phœbus
ita Purpureum Senatûs cœtum
eminenti sensus Tui statera elevasti,
ut gravi ponderis voce:
omnium in Te inclinares assensum.
Serenissimi ac Invictissimi olim
A V G V S T I II.
Regis Poloniarum,
&
Potentissimi Lithuaniæ Ducis, &c. &c.
Regalem Magnificentiam,
quam vivam constantis pectoris coluisti arcanô,
Illam etiam posthumâ celebritatis memoriâ deprædicas.
IOANNES REGIA SCEPTRA
& Pro-Cancellariâ styli pennâ,
& Regalibus ipsis Aquilis ad sidera evexisti.
à Glorioso CRVCIS trophæo
Celsissimi Principis
Illustrissimi & Reverendissimi Domini,
D. THEODORI POTOCKI,
Primatis Regni Poloniæ, Primiqꝫ Principis,
nòn poteras avelli I O A N N E S:
Crucis POTOCCIANÆ Exaltationē
& Pro-Regium Thronum,
tanquàm Patriæ & Ecclesiæ Luminare majus
irreverberata mentis acie contemplando:
Dignus laudum elevatione I O A N N E S
Ad Pontificale tandem Cracij Vavelli fastigium,
ad

ad Ducatus Severienſis culmen,
& ad ternas Honorum Coronas capeſſendas evectus,
Egregium Patriæ Caput
condigno inclinas anadæmati coronandum.
IOANNES REGVM PECTORALE,
Antiſtitum Rationale,
SERENISSIMI REGIS
A V G V S T I III.
Regium Diadema
tribûs Cracij Vavelli redimit Coronîs:
Præſuleo ſcilicet Eccleſiæ zelo,
Principum fide, & Patriæ amore.
Et tùnc alti Sanguinis Tui Purpura
ſerenum ac candidum Regni invexit diem,
dùm Te præeunte Phoſphoro
SOL REGNI apparuit coronatus;
ac deplorandus Reipublicæ ſtatus,
ab occaſu ſine nube proceſſerit.
Amaros myrrhæ faſciculos gemens meſſuit Polonia;
in Tuo autem Gentilitio RASTRO
Vberes felicitatum collegit manipulos.
Magnanimum etenim Tuum RASTRUM
diſperſos pacis oleæ compoſuit ramos,
Hôſteſq; Patriæ acuminoſô compungens ingeniô,
Laureata coronæ capita ad concordem reduxit unionis nexum:
dùm
Ferrea belligeri concluſit limina Jani.
Vndè meritò:
Inſigne LIPSCIANVM RASTRUM
in altum extollitur,

ut cognoſcatur magnificum aurei velleris aggregaſſe muricem,
diviſaq; Regni pectora
felici corporis Reipublicæ còàdunaſſe unitate.

Ingenioſum RASTRORUM acumen
Herculis Clavâ potentius,
pridèm inſenſas de Polo Polono eraſit conſtellationes
ſiderumq; malorum influxus,
dùm Patriæ & Eccleſiæ expunxit hoſtes,
exeſas & carioſas ignium fatuorum ſtipites
e campo Regni evulſit & delevit;

ita:

ut dicere non ſit hyperbole,
quòd his Gentilitijs RASTRORUM armis
de Cælo pro nobis dimicatum eſt.
Quis hoſtiles Patriæ evacuavit umbras?
niſi hæc RASTRA,
àn veriùs ſplendifera Poli Poloni aſtra.
Quis labefactatam Regni famam erexit à cardinibus?
niſi hoc publicæ felicitatis inſtrumentum.

RASTRA LIPSCIANA
Inſurgentibus Euxini Ponti fluctibus
tremenda ſemper erant propugnacula:
Fortius hoc Tridente Neptuni acumen
Hoſtiles Barbarorum elationes maris domando,
una punctione dejecit Regni obſidiones.

RASTRA hæc Triumphalia
quibuſvis robuſtiora Anchorîs,
nòn unam Ancyram captivam,
feſtivos duxerunt in triumphos.

Ita:

Magno in virtutibus coram Domino

IOAN.

I O A N N I
Magna Pontificalis Gloriæ Purpura efformari debuit,
quæ etiam extenſo pro bono publico
vitæ ſuæ ſtamine
pretioſiorem effecit.
Magnanimo Principũ Procerumq; Heroi
A L E X A N D R O,
pro egregijs in Regno meritis
Trinis Cracij Vavelli intertextum Coronis
Præſuleum cedere debuit anadæma.
Memoranda ſæculis ALEXANDRI geſta
meridiana luce clariora,
nòn tantùm hiſtoricîs, ſed etiàm ſacrîs commendantur literîs:
ALEXANDER cui non ſuffecit Orbis
Fortuna ſua major,
quoſvis ſuperavit magnanimos ut fortior;
ALEXANDER & POMPEIVS
pares nòn patiuntur:
Gloriam Orbis ex magnitudine rerum adepti,
Magni prædicantur
nè ſine laude nominentur.
Tu MAGNE P R I N C E P S
Vtriuſq; famam
Eminentiſſimis Tuis factis
nòn tàm adimples quàm exſuperas,
nàm & Regni coronis magnificentiam,
& Eccleſiarum Mitris decorem addidiſti:
Innocentiâ etenim vitæ lactatus,
virtutibus enutritus,
Terreſtre Regni Numen coleris.

Triplex obtines Vavellanæ Cathedræ diadema,
ut plenîs adimplearis Benedictionibus,
& in ternis coronis
perfectam assequaris virtutum plenitudinem.

Porrò:

Talis decebat ut nobis esses Pontifex;
Magnatum Thronum, non nisi Magnus,
non nisi potens opere & sermone
ascendere debueras.
Illum Te Magnum dixerimus,
Cujus magnitudo virtutum refulget in Coronis,
Cujus in Cruce pectoralis erga Gregem salus & amor eminet,
cujus, in Annulis,
Pontificij Adamantes fulgurant sine fulgure,
& pretiosi lapides sine offensione ponderantur.
Cujus in Purpura rosæ florescunt sine spinis,
Cujus in Pedo Præsuleo
Sublimes eriguntur Patriæ & Ecclesiæ Columnæ.
Cracij Vavelli Altitudo Templi,
ex Tuo ad Cathedram Pontificiam Ascensu
elevatum habet gloriæ apicem.
Ornamentum Ecclesiæ
Sydoniâ Tuâ, Tyriâq; Purpurâ exornatur.
Sub clementi Ducis Severiæ Tribunali,
immensos ponderososq; justitiæ quadrantes
ipsa sæculorum Themis admiratur.
PRINCEPS EMINENTISSIME
Si exiguo liceat ingenio summas depromere laudes,
eas ipsas in cumulum Honoris recensemus,
quas Tua Gentilitia RASTRA
selectissima virtutum messe

in

in Majeſtuoſum Gloriæ acervum intulerunt:
RHODIUM immortalis Gloriæ COLOSSUM
immenſas meritorum altitudines excedentem
Præeminentia Tuorum RASTRORUM Cœlis ipſis domonſtrat.
In hoc glorioſo RASTRORUM Theatro
conſpicimus tot adamantibus, quot acuminibus
Exaratam Regum felicitatem.
Miraculoſis Mempheos figuris
Glorioſa Tua infiguntur RASTRA,
eò quòd omnes illas caducas operum ſtatuas
amplitudine ſua præcellens imago gloriæ
ſe Cœlis ſpectabiliorem reddat.
In RASTRIS iſtis glorioſis
expreſſa ſunt aurea Regum Sceptra,
Fulgentes Principum Scipiones,
potentes Ducum Clavæ,
acuta Martis in hoſtes ſpicula,
ſolemnia victoriarum trophæa,
Ingentes Curulium ac Soliorum eminentiæ:
LIPSCIANA RASTRA
Horrifica ſunt in hoſtes Patriæ fulmina,
inter bellicos æſtus,
inter fumos & ignes
nativum nòn amiſerunt ſplendorem,
quia his triumphalibus probata ignibus
in triplex aureæ virtutis reducta ſunt pretium.
Præcellunt nempe:
puritate fidei erga Eccleſiam Numas,
Splendore Majeſtatis erga Patriam Stilicones,
pondere meritorum
omnem gloriæ tranſcendunt magnitudinem.
Probas hoc in Te ipſo

12

O Magne Antistes,
Qui Antessorum Tuorum
Vavelli scilicet Præsulum
in Te vivam exprimis imaginem,
dùm in rebus pro Ecclesiæ gloria regendis
Majestuosum Divorum illorum
Principum honoris Pantheon
in Tuo demonstras Exemplaritatis prospectu:
Divi AARONIS CORONAS
gemmeis ingenij Tui adornas fulgoribus.
Gloriosô CRUCIS signaculô
Divi STANISLAI
SZCEPANOVII CRUCE,
præcordia Tui pectoris consignasti.
Fragrantes Divi VINCENTII
KADLUBEK ROSAS,
in Tua Præsulea Purpura veneramur.
Triumphalibus PRANDOTÆ
&
IVONIS SAGITTIS,
quæ de fortissimis illius Domus Heroum manibus
in hostes Ecclesiæ emissæ,
nunquàm de campo Martio vacuæ redierunt,
nisì digna Verbi DEI compunctione
prædam Cœlis intulerint;
è Gentilitio Tuo RASTRO acumen addidisti,
postquàm illorum egregiorum Antistitum merita
in altum præeminentiæ Tuæ acervum collegisti.

Tri-

Tritam per virtuosas Soleas
IASTRZĘBCCIORVM
TYLICCIORVMq;
ingressûs ad Solium Pontificium viam,
rectô vestigiô attigisti:
Ex KONARSCIORVM,
HABDANKORVMq;
inverso ad astra Charactere,
Magnus de Cælo PRINCEPS legeris.
Oloris TRZEBICCIANI concentibus
de perturbato fataliq; rerum in Patria statu
nòn vana prænoscens vaticinia,
dulci Antistitum carmine
pacem de Cœlo exorasti,
à DEO Rege sæculorum & Principe Pacis
exauditus pro Tua reverentia.
Dulce & decorum esse, Bone Pastor existimans;
ut etiàm omnia pro grege Tibi cõmisso vitæ momenta
in solemnem victimam consecrares.
Grypho GEDEONIS
Volatu meritorum Orbis ambitum excedenti,
in Rastrorum Tuorum Pyramide
excelsum gloriæ Colossum erexisti.
Aurei Velleris Monile
e Navi ZADZIKOVIANA
in Tuæ Præeminentiæ Purpuram allatum
ingentibus Præsuleæ Dignitatis radijs coruscat.
Tubæ RADZIVILIANÆ
Tuam resonant Honoris famam.

13

CINTHIA SZYSZKOVIANA
cum toto ſiderum Senatu
in Tua Mitrarum defluxit Diademata.
GĘMBICCIANA
&
MAŁACHOWSCIANA FASCIA
Meſſes & manipulos Tui Pontificij laboris
per Avita combinati RASTRA
Gordiô colligavit nodô.
In Nobilibus ARBORIS
DĄMBSCINÆ Folijs
Tuam inſcriptam laudis Panegyrim legere liceat.
In Coronato DENOFFIORVM
&
ŁVBIENSCIORVM CAPITE,
tremendam cunctis Eccleſiæ hoſtib⁹ Majeſtatē Tuam honoram⁹.
Pro cōdignis AGNI SZANIAWSCIANI
æternæ memoriæ paſcuis
Lilia Regum & Reginarum Roſas
Tuo congregaſti RASTRO.
In triumphalibus itaq; RASTRIS
Militantis Eccleſiæ Eminentia
Celebre culmen habet.
In aperto nimirùm Sarmatiæ Campo
RASTRVM erigitur,
ut cunctis Regni Principum Procerumq; conſpectibus pateat;
pro felicitate fructuum boni operis
Hoc inſigne Eccleſiæ accreviſſe ornametū,
& incrementum olivarum Pacis addidiſſe.
Hæc virtutū & Magnorùm in Eccleſia DEI meritorū ſiſtemmata,
Hæc

Hæc nunquàm interituræ gloriæ exemplaria,
Hæ vivis probitatis coloribus delineatæ
Vavellanorum Pontificum Imagines,
Iàm ad Cœleste æternaturi Honoris transportatæ Templum
In Tuo Reverendissimo Vultu
O MAGNE ANTISTITUM IOANNES
se cum tota amussi suo spectabiles reddunt.
Et quamvis felicissima rectefactorum & dignitatum clenodia,
satìs abundè in suam coädunaverint appretiationem;
tamèn in majorem honorum copiam
in ampliores LIPSCIORVM Procerum laudes
Splendiferis Tuis RASTRIS eadē colligenda reliquerunt.
quemadmodùm
O MAGNE PRINCEPS
Gloriosis gestîs collegisti,
dùm Ducali Mitræ Cardinalitium Galerū,
Vavellanæ Dibaphæ Vaticanam Purpuram,
Dignitati Celsissimæ Eminentissimum Honorem,
Senatorio Laticlavio sacram investituram adjunxisti.
Super Pectus Supremi VICARII CHRISTI
CLEMENTIS XII.
Vniversalis Ecclesiæ Apostolicæ
PASTORIS,
Pridèm recumbens IOANNES
hoc Sacrum Romulei Honoris accepisti indumentum:
quo & Tua Virtus ornata incederet magnificentiùs,
& DOMUS felicitate emineret augustiùs,
& Patria congestis in Te Sanctissimi Patris locupletata favoribꝰ

nòn magìs de Tua, quàm de sua gloria
gestiret gaudentiùs.
Ergo jàm pro ardente Divini amoris Ecclesiæq; zelo,
rutilante Cardinalitiæ Gloriæ Purpurâ honoraris.
In COLVMNA EXCELSA
Digniori quàm aureo charactere exararis,
ad Vaticanam extolleris Eminentiam,
ut Nomen Tuum LIPSCIANVM
Eminentissimis totius Europæ pateat præcellentijs,
Dies tantæ de Tuo Honore lætitiæ,
Regni, Senatûs, Reipublicæ, Diœcesis, & Ecclesiæ
à tam sereno Tuæ gloriæ inchoata meridie
procedit sine occasu:
Et quamvis momenta se se inclinent,
nòn aliter tamen,
nisi in condignam Tuo Præsuleo Vertici,
Tuæ Pontificali Cruci,
Tuæ Sacræ Cardinalitiæ Purpuræ
præstandam adoream.
Publica Tui Honoris Lux,
Splendor immensæ Gloriæ,
totiùs Europæ vota
Super Tuam Virtutem ad insomnes præconiorum excitat laudes.
Triumphales palmas & laureas
quas invicta magnanimi Martis dextera
Generosa LIPSCIANORVM Heroum animositate
in coronamentum Patriæ,
in plantandam Campo Lechico gloriæ florentiam,
in perenne meritorum LIPSCIANORVM hostimentum,
tanquàm immarcescibilia de hostili acie collegit Spolia.

Vio-

Violas & rosea Purpuræ centifolia,
Tyaræ gemmas, Mytræq; uniones,
quos Gloriosissime PONTIFEX meruisti,
omnia egregiarum virtutum insignia
Annuli Pontificij Adamantes,
& Pretiosos Pastoralis Pedi Chrysolitos,
indefessarum Tuarum
pro DEO, Ecclesia, & grege manuum ornamenta,
unam in augem Honorum
ponderosa Tua colligerunt Rastra.

Meritò:

CELSISSIME ANTISTES

Eminentissimum Romanæ Ecclesiæ
attingis Cardinalatum
quem nòn tàm pedum vestigiô,
quàm virtutum fastigiô conscendis.

Romanæ Vrbis & Orbis mænia lustrando,
à Vaticano Tripode
jàm tùnc plùs quàm, Delphica intellexisti Vaticinia
Te ad Purpuras vocandum esse Eminentissimas.

In Clivo Tarpeio
Capitolium Romanum venerando,
jam prævidisti Tuam emeriti Capitis virtutem
Cardinalitiô Galerô coronandam.

Vix inter primas Regni & Ecclesiæ constitisti curas,
Tua virt⁹ ad majores nata, quia Vaticanas prominebat.
Quælibet Tyara Præsulea Tibi ope videbatur impar;

G nempe

15

nempe:
Tuo Capite minor,
majori Cidari quia Romuleo optabatur Galero:
mirùm erat; quòd à libero Tuo velle
Polona pendebat Majestas,
imò non mirum:
quia hinc augurium erat
fore illud tempus,
quô ab ore Tuo summa in terris post DEUM dependebit potestas.
Hæ spes:
quas de Te nòn vano omine concepit Patria & Ecclesia,
ardentioribus ad superos promovebat suspirijs,
& dum sua repetito anhelitu geminabat vota,
Tibi novi Honoris adoream germinabat.
Nòn irrito tandem conamine
pro Te Superum fatigavimus ædes:
En spes nostræ jàm sunt in fructu, non in herba:
En anguria in effectum,
En omnia omina
in eventus Tibi, honorificos nobis felicissimos evenère.
Hinc:
Applaudit Tuæ Gloriæ
Totus in Te refusus Serenissimi AUGUSTI III amor,
gaudetq; se Tibi vicem pro vice posse reddere,
nempè CARDINALITIUM Biretum pro Corona.
Applaudit Ordo Senatorius,
& gestit se pomposiùs eminère

Tuo

Tuo Romuleo ornatum Laticlavio.
Applaudit Ordo Equeſtris:
& lætatur ſe tandèm ſpectare
quomodò fuſus pro Fide & Patria,
à tot Heroibus Domus Tuæ Sanguinis,
refragante liceat Tua modeſtia,
ſed DEO ſic diſponente,
Sede Apoſtolica ſic volente,
Sacro Vaticanorum Procerum Murice muneretur.
Colligati Tuæ Gloriæ Faſciculi,
Procerumq; Nobilium collecta meſsis virtutum,
totius Regni Columen,
in condignum quoq; Tibi concurrunt applauſum:
Magni Tibi Sanguine juncti Emilij,
Illuſtria connobilitatis Stemmata
egregium Gloriæ calcar
Tuo honoris aſcenſui addiderunt.
DOMANIECCIORVM SOLEÆ,
Tuam inclytis veſtigijs metam gloriæ exprimunt.
KOZMINSCIORVM ROSÆ,
Tuæ Purpuræ gravem addunt Majeſtatem.
DZIERZANOWSCIORVM LILIA,
iter ad Cardinalitiam ſtaverunt Eminentiam.
TARNOVIORVM VOMERES,
RASTRIS Tuis colligati,
Peſago Aratore
Sacrum Heliconis Campum
pro Tui Nominis gloria excoluerunt.

16

Ipse Pegasus
Qui nitidis stellis resplendet quinquedecemque;
Æthereas quatiens summis modo cruribus auras.
Emeritas Manipulorum Aristas
RASTRIS Tuis congestas,
velut radios Regni clariores
Stelliferis Domibus intulit LIPSCIANIS.
LIPSCIANO Tuo Honori
Regium etiã Archi-Cœnobiũ Tynecense, vectigale est:
Leoni etenium BENEDICTINO
Alatus NICOLAI MIELECKI,
ABBATIS TYNECENSIS GRYPHUS,
Colligati Sanguinis Tui Prototypon,
insigne addidit robur
Ante Thronum Sanctuarij Ecclesiæ excubanti.
GRYPHVS Hic
Aureæ libertatis Custos,
& aureæ Regni Coronæ Defensor,
Arimaspos, Fortunæ, & Patriæ insidiatores,
Triumphalibûs unguibûs excæcavit.
AMBROSIVS CASIMIRVS
LIPSKI,
Còádjutor Abbas Sanctæ CRUCIS,
Generalis Cõgregationis Polono-Benedictinæ Præsidens
Qui montem S. CRVCIS meritis suis Religiosis
ac investitura Abbatiali adornavit,
Tuis Honorum fascibus
novas gloriæ subjecit gemmas.
CASIMIRVS
Exaltationem Tuorum RASTRORVM lilijs coronat,

AMBROSIVS,
Tibi Eminentissimo Patriæ Numini
solemne honoris incensum & sabæos adolet odores.
Sublimibus Aris Domus LIPSCIANA condecorata est,
in quibus:
Veneranda Regnorũ prælucent Numina.
Supra terras efferri debent
Præaugusti Sanguinis LIPSCIANI Proceres,
Nam:
sicut in firmamento fixa Cœli resplendent sidera,
sic illa Honorum capita,
in suo Apogæo seu veriùs gloriæ Olympo
inextinguibili rutilant fulgore.
Habet ergò unde Tuo Honori suæq; Felicitati
Archi-Cœnobium applaudat Tynecense,
& atro suæ Professionis habitui
colorem gestiens, gaudij superinduat cultiorem;
nam ad tanti in Polo Poloniæ sideris exortum lumen,
non est conveniens luctibus ille color.
Puniceus communis lætitiæ color ille est,
quem cum candore Religioso mixtum assummimus,
in nobis ipsis
Festivarum gradationũ vultus præsentando & imagines.
Plausibus celebranda Solemnitas,
quæ propitium nobis terrestre indulsit Numen
Te IOANNEM.
Vnde
Edim' haùd fictos hilari de pectore plaus'.

Nec ad ſplendidū tantæ Purpuræ proſpectū
caligare oportet adoratorem oculum,
qui acutiorem Tyrio de murice accipit viſum.
Palleſcere nòn licet ad rutilantes Purpuræ radios!
ſi erubeſcimus;
nòn tamen ex conſtanti Cultus & reverentiæ ſudore,
ad mutabilem oris ac animi revertimur pallorem.

Imò:

Condignum Honoris Pontificij Verticem
eò demiſsiùs veneramur,
quò CARDINALITIUM Faſtigium fulget eminentiùs.
Et quia Principem Pacis ſortiti ſumus
Te IOANNEM;
ideò pro oſculo Pacis, ad deſponſatos Eccleſiæ annulos
cum magna Tui Eminentiſſime PRINCEPS
provolvimur reverentia.

voventes:

ut perenni Regni Sarmatici tranquillitati,
Romanæ Eccleſiæ decori,
noſtrûmq; omnium beatæ felicitati
Serenus in Purpura
PRINCEPS.

VIVAS.

PRIN-

PRINCEPS
EMINENTISSIME
Ad celebre Tuæ famæ clasſicum,
etiam
APOLLO BENEDICTINVS
inter Religioſum taciturnus Parnaſſum,
fit vocalis:
Suamq; Præſuleis Plantis ſubſternens laurum,
glorioſo ad ſe à Sede Regia delatum echone
OCCINIT CELEVSMA.

O D E.

RASTRA, quæ firmis manibus coruſcant,
Colligunt fractum Patriæ laborem,
Dividas Regni benè nexa partes
jungere poſſunt.
Gloriæ meſſem, meritiq; frugem
Dignitas nectit colit atq; ariſtas,
Præmium ſummis referunt acervis
Aurea Raſtra.
Eminent Raſtris ſegetes Honorum,
Cingulo pacis rutilant manipli,
Dat Ceres Regni ſolio beatas
Larga coronas.
Regis invicti nitidæ coronæ,
Quas Deus celſo ſolio locavit,
Ex Tua PRINCEPS pietate regnent,
Sceptraquè creſcant.

Idem APOLLO.

Consonans Lechici Senatus voces, non dissono suis votis occinit sono,

O D E.

Orbis Poloni fulgida gloria,
Claret JOANNIS lumine Gratiæ,
Quæ purpurali lucis ostro
Sidereum Procerum Senatum
Investit. O quis Phœbus in orbita
Regni coronæ, gemmiferos dies
Accendit! & tantæ serenos
Lætitiæ radios adauxit?
Magnus JOANNES! consilio potens,
Virtute major, maximus omnium
Laudum, decorem dignitatum
Voce sua resonando, famam
Excedit Orbis. Magnificis thronis
Regum coronas, sceptraq; Regia.
Sublimis evexit per astra
Dexteritas probitasq; vitæ.
O magne PRINCEPS! Purpura Principũ!
Admitte plausus, quos Tibi detulit
Condigna Majestatis Ara,
Quos Procerum solium perorat.

Sua

Suo Soloni munera gloriæ
Desert Senatus, cûi Themis æquior
Inclinat immensos honores,
Elevat ac apicem gravante
Virtute. Pondera gloriæ
Regniqꝫ fasces, & Patriæ fidem
Firmas ALEXANDER potenter,
Gratia cor populi ligasti
Vinclis amoris. Nobilis optima
Qui jura Regni, pactaqꝫ fœdera,
In splendidos pacis maniplos
Conglomeras rutilante RASTRO.
Exemplar ingens reddis imagine
Virtutis, in qua celsiùs eminet
Serena Majorum venustas,
Effigiesqꝫ nitet Penatum.
Talem decebat Pontificem sacris
Splendere gestis, & Cathedris novum
Inferre gemmarum decorem,
Qui populo pietate præsit.
Optat Senatûs Concilium sibi,
Vt Magne PRINCEPS ingeniô Tuô,
Summæ Magistratum Curules
Aurea fulcra ferant & arces.

Applausus ejusdem Ordinis Senatorij.

Laude coronatur Nomẽ sublime JOANNIS,
Nobile cum violis nascitur atq; rosis.
Debet honorari Nomen quod Gratia gignit,
Grata venustati præmia debet amor.
Fragranti fama redolebit nomen odoris,
Tali nec dulcis floruit Hybla thymo.
Ingeniô clarus, leges & jura tuetur
Regni, tum fulcit Regia Sceptra potens.
Martis compressit furias, strepitusq; rebelles
Composuit pacis voce sonante satis.
Major non potuit conferri gratia Regno,
Quàm quæ de Magni fonte JOANNIS abit.
De RASTRIS Patrijs tot propugnacula surgunt,
Collectas lauros inclytus auxit honor.
Præsulis attraxit Cælos veneranda potestas,
De Regno tristes hinc abiêre dies.
Parv9 ALEXANDRO Magno dũ mũdus habetur,
Illum de Cælo Purpura missa capit.
Quas RASTRIS Princeps violas gẽmasq; recenses,
Perpetuo vireant vertice, vota damus.

Ex affine ſuo Parnaſſo Hæmo
lætabundos BENEDICTINUS Apollo audit plauſus,
& à Polono Ordinis Equeſtris deductum Marte,
Pòética ſic concinit arte.

O D E.

PRINCIPIS famam, decus atq; magnum
Nomen Heròés Equites adorant.
Gloriam dignis, nitidoquè Cælo
Plauſibus æquant.

Laudibus PRINCEPS Tua magnitudo
Lucis attingi nequit, aut triumphis
Pompa concludi, rutiliſq; pingi
Fama pyropis.

Fronte Mars ſplendet benè laureata,
Et coronati ſaliunt caballi,
Exprimunt clari fremitu ſonoro
Gaudia Regni.

Efferunt haſtæ diadema Regni,
Fulgurant gemmis clypei ahèni,
Tanta virtutum tremebundus hoſtis
Signa veretur.

LIPSCIUM panſis labaris coruſcat
Nomen, excelſi meritiq; ſtemma
Clara geſtorum monumenta, ſumma
Laude remonſtrant.

Tympanis plaudunt generosa castra,
Buccinæ laudes repetunt canoræ,
Et triumphali vomit ore festas
Machina flammas.
Et salus & pax titubante Iano,
Laureis ludit, nitet & coronis
Quas novis campis Tua Gloriosa
RASTRA dederunt.
Pacis o PRINCEPS! probitatis atque
Norma, Templorum decus æviternum,
Dira devotis manibus retundas
Fulmina Martis.
Fulgidis gestis Equites coronans
Vive mirandis meritis Senator!
In Tuos clarum stimules triumphos
Calcar honoris.

Applausus ejusdem Ordinis Equestris.

O D E

In RASTRIS rutilant ahena tela,
Hastis fulminibusq́ fortiora,
Clavis Herculeis potentiora,
Quæ Martis cuneos & arma frangunt,
Hostiles penetrant acuta dextras,
Lauros robore congregant valenti,

Sum-

Summis laudibus o colenda RASTRA!
Expugnant fidei ſtupenda monſtra,
Sublimi radiant honoris axe,
Nullo ſunt Patriæ labore fracta,
Fulgent integritate ponderoſa,
Propugnacula ſunt decora Regni.
Congeſtis Patriæ ſacris coronis,
Palmis gemmiferis, venuſtis atquè
Sertis in ſolium perennitatis
Collectis, benè glorioſa RASTRA
Vultu luminis eminentiori
Conſcendunt nitidos ſuos acervos,
O Præconia tanta quis tacebit!
PRINCEPS voce Tuos canis triumphos.
His RASTRIS violas roſaſquè mentis,
Quales Purpurea in toga coruſcant,
Campis Elyſiis decorus infer,
Et præſtans odor attrahat ſequaces.

Nec obligata ſuo PASTORI Diœceſis ſilet, cujus geſtientia jubila, tali concinantur metro.

ATticus Orator Xenophon, qui Regia Sceptra
Cyri laudavit, decantans nobile Regnum,
Claruit eloquio, toto celeberrimus Orbe.
Si Tua geſta, velit facundo (maximè Princeps)
Ore loqui, Majeſtatemq; levare coronis,
Obrutus ingenti radiô, quo Purpura ſplendet,

Pallida confuso suffunderet ora rubore;
Excedat Tua quòd primas magnalia laudes.
Cecropiusq; Solon, quem magnis docta Minerva
Parturijt studijs, nutrivit & artibus almis,
Thespiadumq; dedit decus immortale sororum,
Tarnquinij Regnum justis qui legibus auxit,
Contremit ante tuas, quas, Regni gloria Pompas
Intulit in altum, legesq; observat honorum.
Pomponius rectus, fugiens mendacia rerum,
Sacræ qui Themidis librabat pondera vocis,
Consilij magni miratur PRINCIPIS Aras.
Religio rutilans, quam virtus mente levata
Duxit in ætheras auras, simul astra tueri
Jussit, in excelsa venerandi Numini aula,
Te Procerum Sedem, & tranquillum mentis asylum,
Et Regale Sacerdotum Diadema veretur,
Pontificale simul decus almus Cætus adorat.
Pontificale nitet præstanti murice Numen,
Præcelsis aris virtus sua lumina spectat,
Fama perennis habet Nabathæos thuris odores:
Gloria sacra probat magnos virtutis honores,
Unio Pontificis recolendum pectus adornat.
Quis posset tantos morum connectere fasces?
Quis virtutis honos reverenti carmine laudis
Decantare valet? probitatis amabile nomen
(Quo celsos implet Cælos gratissima fama)
Stringere quæ possent Sancto præcordia nexu?
Virtus ipsa sibi pretium: post fata superstes
Immortale vehit scandens super æthera nomen.
Floribus exiguas gemmisq; inscribimus altis
Laudes: ipsa quibus resplendet Purpura major.
Chloris dotales meritorum Principis hortos

Mi-

Miratur! quantis adoratæ Gratia Floræ
Pontificis mentem redimit pro munere digno
Lauris & sertis! roseis ne Purpura flammis
Excellens careat, pæstano digna pyropo,
Idalio tinxit vestem vultumquè Colore.
Germina virtutum campis immensa Polonis
Demulcent Zephyri, peramæna luce revisans
Veris opes Sol ipse, jubar connectit & auget
Sidereas Stellas, & sæcula solvit ab umbris.
Quis numerare valet meritorum germina tanta?
Purpuream messem cumulabunt splendida RASIRA.
Hoc tibi nostra fides dicat irrevocabile votum,
Ut subjecta reges felix præcordia Princeps,
Qui Pater es Patriæ & decus immortale Polonæ.
Præsulis accendat Gemmis Ecclesia lumen,
Ut decor inde novus consurgat in ordine sacro:
Pontificis summi, ut Princeps fastigia scandas
Dignus Apostolica pro Majestate præire,
Laudibus efferri toto spectablilis ævo.

Applausus ejusdem Ordinis Spiritualis.

O D E.

Præclara Regni stemmata
Fulgent suis coronis,
Quas ipsa virtus gemmea
Exornat atque præfert.
Invicta gestat dextera
Regale mundi sceptrum,
Quæ scipiones frangere
Novit potens & arma.

Suas ad Aras Pontifex
Accedit Infulatus,
Quibus colenda gloriæ
Virtus gradus adauxit.
Resplendet alma Purpura
Roseis suis maniplis,
Quos CARDINALI colligũt
Avita Honori RASTRA.
Ecclesiarum gloria
PRINCEPS diu refulge,
Gemmis tuis Antistitum
Aras Sacras corones.

Non immemor erga Tuum Eminentissimum Honorem tesseræ.

BENEDICTINVS APOLLO,

ne perenni sua videatur esse solutus obligatione,
In immortale Nominis Honorisq; Tui præconium
totus ad præsuleam Fimbriam
ligatis reptat pedibus.

O D E.

Illustre Nomen LIPSCIVS addidit
Ecclesiarum fascibus, & novo
Virtutis almæ Principatu,
Romuleo nitet in Senatu.

Quot

Quot alta Regni gloria LIPSCIOS
Præſentat Orbi, tot Proceres patent,
Tot Claudij, tot Scipiones,
Annibales Patriæ Polonæ
Spectantur. O quàm LIPSCIA Regia
Claris reſulget ſulta curulibus!
Eſt aula Regum, Principumquê,
Pontificumquè ſacrum ſacellum.
JOANNE major ſurgere quis valet?
Cûi Purpurarum maxima Purpura
Coruſcat oſtro; voxq́ laudis
Ipſa ſua roboare fama
Poſſit. Colendum Pontificis Caput,
Virtute Cælis altius eminet:
In annulis perenne Nomen
Scribitur, & legitur per aſtra.
Florere fecit candida Gratia
Regum Coronas, Sertaq́ Principum:
Expunxit herbas implicatas
De Patria reſonante RASTRO.
Reſplendet Aris fama potentior,
Templis coluntur Numina gloriæ,
Regni coronantur columnæ,
Et fidei pietas perenni

L Fer-

23

Fervore lucet. Nomina Numinum
Quis tanta poſſet laude prehendere!
Inſcripta Cælis geſta clarent,
Quæ colimus trepidante penna.
Regnum Polonum nuncupat & Tibi
Votiva laudis carmina perſonat;
Vt Aula Regum LIPSCIANA
Perpetuum diadema geſtet.
Præſint ut Aris LIPSCIA Numina,
Effulgeant & Præſuleis mitris,
Regniq; murus ſint labantis,
Vota refert BENEDICTVS Ordo.